

suis et predicti regni profectibus efficaci studio et ferventi sollicitudine intendatis ad tuitionem dicti regni omnimodam operam et diligentiam impendendo nec permittendo^{a)}, quantum in vobis fuerit, regem ipsum et regnum ab inimicis eiusdem^{b)} aliquatenus molestari, ita quod exinde apud Deum et homines dignis mereamini laudibus commendari et dictus rex vobis ad condigne retributionis premia merito astringatur nosque vobis exinde reddamur in vestris opportunitatibus favorabiles et benigni.

Gegenüberstellung von Thomas von Capua III 4 und Petrus de Vinea V 1.

Ad extollenda iustorum preconia et reprimendas insolentias transgressorum prospiciens e celo iustitia erexit in populis regnantium solia et diversorum principum potestates. Caruisset namque libenter humana conditio iugo domini nec libertatem a se, quam eis natura donaverat, homines abdicassent, nisi quod impunita licentia scelerum in evidentem humani generis perniciem redundabat. Et sic ex necessitate quadam oportuit naturam subesse iustitie ac servire iudicio libertatem, nec exquiri extrinsecus decuit ad populorum regimen speciem alteram creature, sed homo prelatus est homini, ut gratiorem prelaturam efficeret idemptitas speciei. Porro non ob hoc solum dominos subditis sententia divina prefecit, ut eis dominando preessent, sed ut ipsis pacis et iustitie copiam ministrando prodessent, ut appensis in statera iudicii meritis singulorum condignis dignos prosequantur favoribus et in facinorosos exerceant debite gladium ultionis. Decet igitur, ut subditi colla humilient mandatis et beneplacitis dominorum eisque debitam reverentiam, ad quam ipsi tenentur, impendant et circa iura ipsorum eis liberaliter exhibenda nostri mandato pareant redemptoris, qui ostensa sibi figura numismatis que sunt Dei Deo, et que sunt Cesaris Cesari reddenda constituit et precepit.

Ad extollenda iustorum preconia et reprimendas insolentias transgressorum prospiciens de^{c)} celo iustitia erexit in populis regnantium solia et diversorum principum potestates. Caruisset namque libenter humana conditio iugo domini nec libertatem a se, quam eis natura donaverat, homines abdicassent, nisi quod impunita licentia scelerum in evidentem perniciem humani generis redundabat. Et sic ex^{d)} necessitate quadam oportuit naturam subesse iustitie et servire iudicio libertatem, sed nec extrinsecus exquiri decuit speciem aliam creature, cui se representata per hominem celestis imago subiceret, sed homo prelatus est homini, ut gratiorem prelaturam efficeret identitas speciei. Potissime tamen divina sententia prefecit ad regimen populorum imperium, dum ostensa sibi figura numismatis in redditione census ac solutionibus tributorum pre ceteris regibus Cesaree fortune fastigium presignivit. Cui diversimodas subdidit nationes, non ad hoc solum, ut eis imperando preesset, sed ut ipsis potius iustitie copiam ministrando prodesset.

^{a)} permittatis R ^{b)} folgt quantum in vobis fuerit ab inimicis eiusdem (die 3 letzten Wörter getilgt) E ^{c)} in anderen Fassungen e; so MG. Const. 2, 300 Nr. 216, 378 Nr. 270, 379 Nr. 272, 381 Nr. 273 ^{d)} fehlt Petrus de Vinea V 1, aber vorhanden in den Fassungen Const. 2, 378 Nr. 270, 379 Nr. 272, 381 Nr. 273.